Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456092-p0001-2

K. 360a.
Q.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456092-p0002-8

FACVLTATIS PHILOSOPHICAE
DECANVS

ADAM. FRIDER. CHRISTIAN. REINHARD

IVRIS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS ORDIN.
FACVLT. PHILOSOPH. ASSESSOR ORDINAR. ACADEM. ELECTORAL.
SCIENT. VTIL. SOCIVS, NEC NON AERARII ELECT. CIVILIS
CVRATOR

AD AVDIENDAM PRAELECTIONEM STATVTORVM PHILOSOPHICORVM
ET
SOLENNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI ET CLARISSIMI
SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM CANDIDATI

CHRISTIANI FRIDERICI SEGELBACH

ERFVRTENSIS
MINISTERII EVANGELICI CANDIDATI
DIE XXIII. APRILIS CIƆIƆCCLXXXVIIII.
PERAGENDA
AMPLISSIMVM PHILOSOPHORVM ORDINEM
PROCERESQVE AC CIVES ACADEMICOS
QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE
INVITAT.

Præmittitur nonnihil:
De viuentium ad naſcentes, morientesque in ciuitate Erfurtenſi ratione.

ERFVRTI
TYPIS HENRICI RVDOLPHI NONNII, ACADEM. TYP.

18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456092-p0003-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456092-p0004-9

§. I.

Eſſe quendam in naſcendo pariter ac moriendo ordinem, quem tanquam legem a diuina profectam ſapientia natura ſeruet, in confeſſo eſt hodie apud omnes; illum vero non exacte eundem vbique eſſe, ſed pro varia locorum hominumque natura & indole ita fluctuare, vt hic maior, illic minor viuentium, pars quotannis moriatur, naſcaturue, pariter expeditum eſt. Et licet vero haud ſit ſimile, nullos eſſe certos & extremos limites, quos vltra citraque euagari natura haud ſoleat, ii tamen ipſi multum abeſt, vt iam penitus nobis innotuerint, cum, quo minus accurate ſatis conſtituantur, haud pauca officiant. Lex enim ipſa ita eſt comparata, vt non in oculos ſtatim incurrat, ſed obſeruationum demum magno ſatis numero propoſito, ſingulisque ſedulo excuſſis elici poſſit. Harum vero copia haud adeo magna ſuppetit, & ex his ipſis, antiquioribus præſertim, paucæ certæ ſatis ſunt atque accuratæ. Et ne hæ quidem omnes æque tuto poſſunt huic adhiberi negotio, quod interdum incidant periodi ab ordine communi nimium recedentes, vitiaturæ ideo calculos, niſi aut omnino omittantur, aut longa ſatis annorum comprehendantur ſerie. Denique variorum locorum obſeruationes modo magis inuicem diſcrepant, modo minus, hancque ſolam relin-

relinquunt rei expediendæ viam, vt locorum primo plurium, longeque diſſitorum particulares eruantur leges, tum iis inter ſe collatis in diuerſitatum cauſſas inquiratur accuratius, tandem diſpiciatur, lateatne forte in iis vniuerſalis quædam regula, remotis, quæ ex ſingulorum locorum natura & conditione manauerant, tenebris pura in luce refulſura. Id ipſum vero ſi vel non omnino ex voto ſuccedat, inueſtigatio tamen cauſſarum, e quibus oriuntur ea, quæ cuilibet loco ſunt propria, ne tum quidem nihil eſt habitura vtilitatis, cum multum poſſit conducere ad inuenienda, &, ſi fieri poſſit, remouenda ea, quæ efficiunt, vt aut minor ſit iuſto, aut lentiora, quam par eſt, capiat incrementa hominum alicubi degentium multitudo. Quamobrem, cum multæ eiusmodi obſeruationes paſſim publici iuris ſint factæ, nec nos operam & oleum perdituros arbitramur, ſi quam ex patriæ noſtræ tabulis ſymbolam in commune contulerimus, quod tamen inſtitutum integrum perſequi cum res ſit maioris & ſpatii & temporis, quam quidem huic ſcriptiunculæ impendere fas ſit, alii illud occaſioni reſeruamus, pauca hic tantum de ciuitatis ſolius ſtatu delibaturi.

§. II.

Et hominum quidem in vrbe noſtra degentium numerum bis initum eſſe comperi, circa annum primo 1758, tum, anno 1782; ex priori recenſu nihil vidi, præter numerum viuentium = 13602. alter accuratius inſtitutus oſtendit, vixiſſe tum apud nos:

annorum	1—6	7—14	15·30	31·60	61-80	81-100	vltra 100
mares	1026	1126	1804	2223	412	31	1
feminas	1065	1155	2419	2804	524	31	—

quo-

quorum ſumma mares 6623, feminas 7998, omnium omnino numerus 14621 efficit.

Quod porro ad naſcentium quotannis & morientium attinet numerum, petendus ille erit ex Lucinæ, Libitinæque rationibus, quæ in publicum quotannis euulgantur; eæ vero cum ab anno demum 1780 eam in formam, quam hodie ſeruant, redactæ ſint, nouem hic annorum ſpatium ſubiiciemus oculis, quod vt vno poſſit obtutu comprehendi facilius, peculiari tabula concluſum damus. (*)

(*) Qui in ipſis tabulis inter mortuos connumerantur, non etiam inter natos, infantes, qui mortui in lucem eduntur, eos natis adiecimus, ne ratio vitietur, quod alias contingere neceſſe eſſet.

§. III.

Multæ ſane ſunt, quæ ex hiſce præmiſſis elici poſſint, concluſiones, quas etſi omnes omnino hic proponere non vacat, dabimus tamen præcipuas quasdam & præ ceteris notabiles.

1) Naſcentium numerus ex his nouem annis medius eſt $= 516\frac{1}{3}$ per quem diuiſo omnium viuentium numero, prodit, quam proxime $28,317 = a$, & menſura, quam vocant, fœcunditatis (Florencourt c. III. §. 5.) $= \frac{1}{28,317} = \frac{1}{a}$ tantillo minor ea, quæ ibidem pro media ſumitur.

2) Morientium numerus medius eſt $= 510\frac{4}{9}$ per quem diuiſus viuentium numerus dabit quam proxime $28,643 = b$ & ſcala mortalitatis erit $= \frac{1}{28,643} = \frac{1}{b}$ maior ea, quæ minoribus ciuitatibus conuenit, paullo minor ea, quæ maioribus v. c. Berolino congruit.

3) Si diuidatur $\frac{1}{b}$ per $\frac{1}{a}$, quotiens $= \frac{a}{b} = 1,0115$

 oſten-

oſtendit, morientium ad naſcentes rationem eſſe $= 1 : 1{,}0115$, numerumque adeoque incolarum creſcere quidem, ſed exiguo admodum augmento, & longe infra mediocritatem conſtituto.

4) Si viuentium ſexus vterque comparetur, numerus ab initio vitæ vsque ad annum 14 & ab anno 81 inde ad finem usque vitæ fere æqualis eſt, intermedio vero tempore ſexus ſequior maſculinum numero longe antecellit, quod eo magis mirum videri poteſt, cum in naſcentibus contrarium appareat, & numero medio $263\frac{8}{9}$ pueri, at $252\frac{4}{9}$ puellæ tantum naſcantur, & licet ex illis ante primum vitæ annum exactum 71, ex his $57\frac{4}{9}$ tantum obeant, ſicque pueri $192\frac{8}{9}$, puellæ 195 ſuperſtites ſint, ab eo tamen anno ad 15 vſque maior feminarum, quam marium numerus decedit, vt nulla ſane huius phænomeni ratio appareat.

5) Infantium quoque, qui mortui in lucem eduntur, numerus admodum eſt magnus, cum e 39 pueris fere 2, e puellis 67 itidem 2 ante moriantur, quam inceperint viuere; cumque præterea ex iis, qui viui eduntur in lucem, $\frac{2}{9}$ fere primum vitæ annum non compleant, inſignem ſane tenellorum infantium partem rapere Libitinam in aprico eſt, dignaque res, in cuius cauſſas accuratius inquiratur.

6) Si numerus coniugiorum initorum cum viuentium numero comparetur, apparebit, e 205 circiter perſonis quatuor eſſe, quæ matrimonium ineant, ſeu duo inter eas coniugia ſumi poſſe, qui coniugiorum numerus, ſi cum aliis regionibus comparetur, ſatis profecto eſt magnus, eoque magis eſt mirandum non maioribus incrementis multitudinem incolarum augeri. Quam tamen ſint fœcunda matrimonia, iudicari ex hisce tabulis non ſatis poteſt, cum eorum, quæ vna ſubſiſtunt, numerus iis haud contineatur.

7) Cir-

7) Circa ipſa hæc coniugia notandum eſt, numerum eorum per hos nouem annos mire variaſſe, cum tamen tenorem perpetuo in iis incundis ſeruatum, vt plures aliquanto virgines, quam adoleſcentes, plures contra vidui, quam viduæ nuptias contraherent, ex nuptis autem plures multo mariti, quam vxores, inter cœlibes vero & viduos feminæ aliquanto plures, quam mares, obirent. Numeros, quibus rationes iſtæ continentur, in tabula adiecta reperire facillimum eſt.

§. IIII.

Si ex his nouem annis numeri maximi & minimi cum mediis conferantur, natorum maximus eſt = 544, minimus = 478, quorum hic a medio = $516\frac{1}{3}$ deficit $38\frac{1}{8}$, ille eum ſuperat $27\frac{2}{3}$. Mortuorum porro maximus = 576 a medio = $510\frac{4}{9}$ differt $65\frac{5}{9}$, minimus = 455 vero $55\frac{4}{9}$. Coniugiorum denique maximus = 168 a medio = $142\frac{2}{3}$ differt $25\frac{1}{3}$, minimus = 120 ab eodem $22\frac{2}{3}$. Omnium itaque differentiarum harunce minima medii ſui pars ſunt, quæ in natiuitatibus, maior, quæ in mortibus, maxima, quæ in coniugiis occurrunt, quod iſtæ ſtabili magis certaque lege regantur, illæ pluribus ſint obnoxiæ mutationibus, præſertim cum variolæ, aliiue morbi epidemici graſſantur, hæc tota fere ab arbitrio humano variisque euentibus pendeant. Ceterum, quæ intra 24 annos contigiſſe videtur 1000 fere incolarum acceſſio, cum per ea, quæ diximus ab eo, quo nati morientes ſuperant, exceſſu ſolo proficiſci non potuerit, magna ex parte per eos, qui tum rure, tum aliunde huc commigrarunt, & hodieque commigrant, inducta eſſe videtur, cum SAPIENTISSIMVS pariter ac CLEMENTISSIMVS PATRIAE NOSTRAE PATER eorum nihil prætermittat, quæ vel allicere peregrinos, vel retinere poſſint hic iam degentes, vitamque omnibus facere beatiorem, CVIVS prouida conſilia, vt porro fortunet Deus ter O. M, IPSVMQVE bonis omnibus cumulatiſſimum Neſtoreos annos viuendo attingere iubeat, ardentiſſimis ab Eo votis optimus quisque efflagitat.

§. V.

Et hæc quidem hactenus, pauca ex multis! Supereſt, vt pauca dicamus de eo actu, cuius cauſſa hæc ſcripta ſunt. Eſt hoc prudenter a maioribus conſtitutum, vt primum delati ordinis Philoſophici in Academia noſtra Decanatus hæc quaſi ſint auſpicia, vt in ſolenni panegyri ordinis ſtatuta prælegantur, tum de argumento quodam ad Philoſophiam pertinente publice diſputetur. Cum igitur & ad me, quem ante hos XVIII annos Aſſeſſorem ſibi & Profeſſorem publicum cooptauerat ordo hic noſter, (cui ius hoc a prima inde Academiæ origine quæſitum vſuque perpetuo conſeruatum eſt) Decani munus peruenerit, officio meo deeſſe nolui; & cum circumſpicerem ſocium, quem ad reſpondendum ex more mihi adiungerem, commodum ſe obtulit vir nobiliſſimus & clariſſimus, C. F. Segelbach, ſummos in Philoſophia honores ambiens, petensque, vt ad examen conſuetum admiſſus, reſpondentisque partibus functus laurea Magiſteriali publice condecoretur. Annuit ordo noſter, ſatisque tentatis eius profectibus dignum pronunciauit, qui in præmium exantlati laboris voti compos reddatur. Dictus eſt huic rei dies VIIII Cal. Maii, quo de Philoſophiæ ad reliquas ſcientias habitu & relatione pauca præfatus, ſtatuta philoſophica prælegam, tum vero de mediis quantitatum valoribus vltro citroque diſſeram, quo facto ſummi in Philoſophia honores Candidato digniſſimo publice conferentur. Hos actus vt Rector Academiæ Magnificus, Gratioſi ac Illuſtres reipublicæ & litterariæ Proceres, Collegæ coniunctiſſimi & nobiliſſima Studioſorum corona præſentia ſua condecorare dignentur, qua fieri poteſt ac decet obſeruantia, atque humanitate, rogatos eos atque inuitatos volo. Publ. ſub ſigillo Facult. Philoſ. XIIII Cal. Maii CIↃIↃCCLXXXVIIII.

(L.S.)

ati

	Feminæ		Summa
ortuæ	viuæ	omnes	
6	269	275	544
10	248	258	493
5	233	238	514
10	263	273	534
4	214	218	478
3	236	239	498
9	239	248	505
9	256	265	540
12	246	258	541
68	2204	2272	4647
$7\frac{5}{9}$	$244\frac{8}{9}$	$252\frac{4}{9}$	$516\frac{1}{3}$

Anni	Coniugia, quæ inierunt: Iuuenes & Virgines	Iuuenes & Viduæ	Virgines & Vidui	Vidui & Viduæ	Summa.	Perſonæ matrimonia contrahentes: Iuuenes	Virgines	Vidui	Viduæ	Summa	Nati: Mares: mortui	viui	omnes	Feminæ: mortuæ	viuæ	omnes	Summa
1780	95	11	25	17	148	106	120	42	28	296	10	259	269	6	269	275	544
1781	93	23	26	12	154	116	119	38	35	308	14	221	235	10	248	258	493
1782	79	14	16	12	121	93	95	28	26	242	15	261	276	5	233	238	514
1783	98	15	15	4	132	113	113	19	19	264	10	251	261	10	263	273	534
1784	105	14	31	18	168	119	136	49	32	336	7	253	260	4	214	218	478
1785	88	17	25	10	140	105	113	35	27	280	16	243	259	3	236	239	498
1786	100	16	34	10	160	116	134	44	26	320	16	241	257	9	239	248	505
1787	86	9	20	5	120	95	106	25	14	240	12	263	275	9	256	265	540
1788	102	10	25	4	141	112	127	29	14	282	21	262	283	12	246	258	541
Annorum 9 Summa	846	129	217	92	1284	975	1063	309	221	2568	121	2254	2375	68	2204	2272	4647
Numerus medius	94	$14\frac{1}{3}$	$24\frac{1}{9}$	$10\frac{2}{9}$	$142\frac{2}{3}$	$108\frac{1}{3}$	$118\frac{1}{9}$	$34\frac{1}{3}$	$24\frac{5}{9}$	$285\frac{1}{3}$	$13\frac{4}{9}$	$250\frac{4}{9}$	$263\frac{8}{9}$	$7\frac{5}{9}$	$244\frac{8}{9}$	$252\frac{4}{9}$	$516\frac{1}{3}$

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456092-p0012-4

anni	Mortui mares									Mortuæ feminæ									Summa omnium mortuorum
	in vtero	annorum 0 — 1	annorum 1 — 5	annorum 6 — 10	annorum 11 — 15	vltra 15 annos Cœlibes	Mariti	Vidui	Summa	in vtero	annorum 0 — 1	annorum 1 — 5	annorum 6 — 10	annorum 11 — 15	vltra 15 annos Cœlibes	Vxores	Viduæ	Summa	
1780	10	52	40	8	5	23	67	19	224	6	58	48	9	6	26	46	39	238	462
1781	14	43	34	8	5	19	71	21	215	10	39	39	3	3	19	65	62	240	455
1782	15	66	28	18	7	26	70	21	251	5	50	29	10	9	35	42	75	255	506
1783	10	66	28	9	6	16	63	14	212	10	52	57	18	8	27	58	55	285	497
1784	7	53	34	5	10	29	64	24	226	4	48	42	16	4	28	59	67	268	494
1785	16	46	52	30	7	23	96	20	290	3	43	45	24	16	26	83	45	286	576
1786	16	61	45	14	4	25	79	24	268	9	44	52	14	12	33	58	53	275	543
1787	12	46	50	20	5	24	68	22	247	9	47	63	24	8	34	34	45	264	521
1788	21	85	43	12	9	29	53	21	273	12	58	47	10	4	33	40	73	277	550
annorum 9																			
Summa	121	518	354	124	58	214	631	186	2206	68	449	423	128	70	261	485	514	2388	4594
Numerus medius	$13\frac{4}{9}$	$57\frac{5}{9}$	$39\frac{1}{3}$	$13\frac{7}{9}$	$6\frac{4}{9}$	$23\frac{7}{9}$	$70\frac{1}{9}$	$20\frac{2}{3}$	$245\frac{1}{9}$	$7\frac{5}{9}$	$49\frac{8}{9}$	47	$14\frac{2}{9}$	$7\frac{7}{9}$	29	$53\frac{8}{9}$	$57\frac{1}{9}$	$265\frac{1}{3}$	$510\frac{4}{9}$

Mortuæ feminæ

nnorum 1 — 5	annorum 6 — 10	annorum 11 — 15	vltra 15 annos Cœlibes	Vxores	Viduæ	Summa	Summa omnium mortuorum
48	9	6	26	46	39	238	462
39	3	3	19	65	62	240	455
29	10	9	35	42	75	255	506
57	18	8	27	58	55	285	497
42	16	4	28	59	67	268	494
45	24	16	26	83	45	286	576
52	14	12	33	58	53	275	543
63	24	8	34	34	45	264	521
47	10	4	33	40	73	277	550
423	128	70	261	485	514	2388	4594
47	$14\frac{2}{9}$	$7\frac{7}{9}$	29	$53\frac{8}{9}$	$57\frac{1}{9}$	$265\frac{1}{3}$	$510\frac{4}{9}$

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456092-p0015-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456092-p0016-6

94 A 7330

ULB Halle 3
000 410 837

S.6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456092-p0017-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456092-p0018-8

FACVLTATIS PHILOSOPHICAE DECANVS

ADAM. FRIDER. CHRISTIAN. REINHARD

IVRIS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS ORDIN.
FACVLT. PHILOSOPH. ASSESSOR ORDINAR. ACADEM. ELECTORAL.
SCIENT. VTIL. SOCIVS, NEC NON AERARII ELECT. CIVILIS
CVRATOR

AD AVDIENDAM PRAELECTIONEM STATVTORVM PHILOSOPHICORVM

ET

SOLENNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI ET CLARISSIMI
SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM CANDIDATI

CHRISTIANI FRIDERICI SEGELBACH

ERFVRTENSIS
MINISTERII EVANGELICI CANDIDATI
DIE XXIII. APRILIS CIↃIↃCCLXXXVIIII.
PERAGENDA
AMPLISSIMVM PHILOSOPHORVM ORDINEM
PROCERESQVE AC CIVES ACADEMICOS
QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE
INVITAT.

Præmittitur nonnihil:
De viuentium ad naſcentes, morientesque in ciuitate Erfurtenſi ratione.

ERFVRTI
TYPIS HENRICI RVDOLPHI NONNII, ACADEM. TYP.

15